



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Quæst. IX. Circa Officium & Jus Prælati Superioris supplendæ negligentia
Prælatorum Inferiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

Officii partes per Regulas particulares. Sunt etiam aliquot, quibus magna subjicitur copia Exceptionum, Replicationum, Duplicationum &c. inutilium, & caliginem, potius quam lumen, parientium: talis est REG. XLIX. circa Residentiam Episcoporum extrâ casus necessitatis, vel utilitatis, eorum absentiam requirentes, quæ justa esse desinit, statim atque cessant causæ illam excusantes. Nihil est hac in Regula, quod non reducatur ad obligationem residendi extrâ casus legitimi impedimenti, qui illam suspendunt dumtaxat, quamdiu durant. Methodus hæc exponendi simplex est & perspicua, VIGELIANA autem intricatior & obscurior.

Multæ reperiuntur, quæ, nisi restringantur, falsæ sunt: talis est v. gr. Reg. XXIII. dicens, Episcopum novos Census imponere non posse, neque veteres augere: hæc enim vera non est; nisi quatenus id fieret absque justâ causâ: nam, si novam Parochiam exigat, imponere potest Ecclesiæ Decimas percipienti, onus Portionis Congruæ, quam non solvebat, si verò ea, quam Curato jam constituto solvebat, non sit sufficiens, eam augere potest. Idem est de Reg. XVI. ferente, Episcopum non posse eximere Ecclesiam à subjectione alterius, à quâ pendet: nam, si duæ Ecclesiæ sint unitæ, ita, ut una alteri subiecta sit, Episcopus earum unionem dissolvere potest, & tunc cessat dependentia. Idem dicendum de Reg. XXV. in quâ dicitur, Episcopum non debere Cognatis & Amicis suis credere Officia Ecclesiastica: nam, si digniores sint cæteris, anteferri debent. Laudatus autem Textus non prohibet nisi acceptionem Personarum, ex carnali affectu provenientem. REG. XIV. ejusque Exceptio, falsæ sunt, si accipiantur in omni suâ extensione: nam falsum est, Episcopum nihil posse sine consensu Capituli; laudatique Textus id non probant; sed potius, esse res quasdam, in quibus solo consilio Capituli indiget, alias verò, in quibus requiritur consensus. Regula tamen dicit, *sine consensu Capituli nihil administrat*: Exceptio eam restringit ad casus, in quibus consuetudo praxim contrariam induxit; Textus autem laudatus ad illam probandam, loquitur solum de aliquot casibus requirentibus solum consilium.

Quædam Regulæ exoleverunt; talis est XLV. dicens, Episcopum non posse uti Dalmaticâ, sine licentiâ Pontificis.

Quædam malè concipiuntur ratione Exceptionis appositæ: talis est XLIII. dicens, Episcopum alienam Parochiam usurpare non debere; casus præscriptionis excipitur; porro, Usurpator nunquam præscribit, obstante scilicet malâ fide. Dicendum erat, Episcopum, qui Parochiam in alterius districtu possidet, eam restituere debere, nisi præscriptio ei patrocinetur.

Prima *Quinque Regularum* circa Jura & Officia Episcoporum ergâ Monasteria & Monachos, indicat solum Textus de iis prolixè loquentes. *Quatuor* sequentes reducuntur ad prohibitionem illos vexandi, sive quoad Temporalia, sive quoad Spiritualia. Reliqua Officia circa idem argumentum, aliis in locis observantur, quæ ab Autore indicari debuissent.

QUÆST. IX. circa Officium & Jus Prælati Superioris supplenda negligentia Prælatorum Inferiorum.

Jus, sub negligentia, cæteras Inferiorum Prælatorum culpas complectitur; nempe iniquam repulsam, & pravam electionem.

Autor eorum impotentiam adjicit, duabus superioribus omisiss. Quadruplex itaque defectus supplendi genus; negligentia; repulsæ; electio indigna; impotentia. Duo priora suppletur, faciendo quod, per negligentiam, omisissum fuerat, vel iniquè denegatum. v. gr. cum providetur Sedi, quam Collato-

res, Electores & Præsentatores ultrâ legitimum tempus vacare passi sunt. Suppletur tertium, sic Bono Ministro traditur locus pravo datus, sic dignam & capacem personam substituendo indignæ & incapaci, cui provissum fuerat. Suppletur quartum, Personæ infirmæ, & ad obeunda munera sua inhabili, Coadjutorem dando.

Quantum suppetit remedium circa casum repulsæ, hanc pro concessione accipiendo: *Cap. de suppl. negl.* ejus exemplum suppeditat: videlicet Abbatis pro benedictio habit; cum Episcopus ritè requisitus tribus vicibus, eum non benedicit, Jus à Benedictione dispensat, concedendo Abbati licentiam fungendi suis muneribus, perindè ac si benedictus foret.

QUÆST. X. circa Potestatem, Bona & Privilegia Episcoporum & aliorum Prælatorum.

Pleraque Regulæ hujus Quæstionis exigui usûs sunt. Erectio Beneficiorum hodiè vigens, eas inutiles, quoad praxim, fecit. Episcopus non habet administrationem Bonorum Ecclesiasticorum: desit habere portionem Legatorum Piorum: Bona ejus Patrimonialia, separata sunt à Bonis ejus Ecclesiæ: non est hodiè necessarium conficere Inventaria utrorumque: acquisitiones, quas comparat semper ab acquisitionibus Ecclesiæ distinguuntur: reservatio Causarum Episcopali ad Pontificem, ubique ferè abolevit Canones, qui earum notionem Conciliis Provincialibus tribuunt, & qui ad praxim in solâ Galliâ reducuntur, quamvis sæpius iis derogeretur: Domus Episcopalis amisit Jus Asylî in multis Regionibus: necessitas illum monendi, priusquam in Jus vocetur, sublata est.

OBSERVATIONES in CAP. IX. circa Jurisdictionem Prælatorum.

Argumentum, hoc est consequutio Quæstionis ultimæ Capituli præcedentis; nam Jurisdictio pertinet ad potestatem. Dividitur in Tres Partes; 1. de modo eam acquirendi. 2. Eam tuendi, 3. eam amittendi. *Prima & Tertia* valdè connexæ sunt; unus enim acquirit, quod alius amittit: itaque, ipsæ defectus suos mutuò supplere possunt. Consequenter addi potest viis, per quas acquiritur Jurisdictio, erectio Ecclesiæ inferioris in Episcopatum; unio Ecclesiæ unius Dioceseos, cum Ecclesiâ Dioceseos alterius; Sectio Episcopatus in plures, ejusque erectio in Archiepiscopatum; translatio domicili ab unâ Diocesi in aliam, sive peregrinatio ab unâ Diocesi in aliam propter negotia. His enim mutationibus, Ecclesia in Episcopatum erecta, quæ desinit esse obnoxia Jurisdictioni veteris Episcopatus, transit sub Jurisdictionem novi; Ecclesia unita Ecclesiæ alterius Dioceseos, eique subiecta, transit sub Jurisdictionem Ordinarii illius Ecclesiæ; per divisionem prædictam, Episcopus evadens Archiepiscopus, acquirit Jurisdictionem Archiepiscopalem in novos Episcopatus & amittit Jurisdictionem, quam habebat in Parochias sibi quondam subiectas, quæ transit ad novos Episcopos. Diocesani, qui domicilium in aliam Diocesim transferunt, illucque Bona sua conferunt, Prælati ejus loci fiunt Diocesani: per Incolatum in alienâ Diocesi, quamvis cum voto reditis in pristinam, peregrinus fit Diocesanus posterioris.

Pars Prima, de viis, per quas acquiritur Jurisdictio.

Quod dicitur in *Regulâ I.* de Electione ad Prælatum, extenditur ad aliam quamlibet Provisionem: hæc autem viâ Jurisdictio non acquiritur immediate, sed dignitas, cui illa cohæret.

Omnes Exceptiones, quæ leguntur sub *Regulâ II.* quæ præscriptionem collocat in fronte viarum, per quas